

## **Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 67**

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii Sancti Martini, Ingelbaldum quendam cognomento Blanchardum, ut a Deo libertate donetur aeterna, tradidisse se servum Sancti Martini et nostrum, agentibus nunc nobis sub regimine domni abbatis Alberti, anno ab incarnatione Domini Mo LXo IIo; ita videlicet, ut tam ipse, quam tota deinceps ex ipso ipsiusque si qui erunt filii ac nepotibus per secula futura posteritas, sub eadem servitute pari jure permaneat. Quattuor itaque denarios, ex more, sibi supra caput posuit, quos inde dominus Fulco noster hoc tempore prior accepit. Actum testibus istis: Fulcone priore monacho; Tetaldo Calvo monacho; David cellarario monacho; Gauscelino fratre Ademari, monacho; Rainerio de Bello Videre famulo; Arnulfo Mathone; Ingelberto filio Richardi; Petro coquo.